

# ARGUMENTVM

## EPISTOLAE.



**D**EVS uult agnosci filium media-  
torem, nec uult aliter liberare  
homines à peccato, & à morte  
eterna nisi in inuocatione filij,  
sicut in secundo Psalmo dicit  
osculamini filium. Beati omnes  
qui confidunt in eo. Et patris  
uox sonans de coelo hæc est. Hic est filius meus dile-  
ctus, hunc audite, & filius inquit. Nemo uenit ad  
patrem nisi per filium. Item Hæc est uita eterna ut  
agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum esse  
Christum.

Necesse est igitur in Ecclesia recte conspici be-  
neficia Dei propria, id est remissionem peccatorum,  
reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iusti-  
ciae, & uitæ eterne. Et ut filius Dei recte agnosca-  
tur, necesse est econtra intelligi, quale malum sit  
peccatum, & cerni discrimen inter Philosophiam, le-  
gem & Euangelium, inter iusticiam fidei & iusticiam  
operum, quæ est qualiscumq; diligentia humana faci-  
endi legem, Necesse est etiam scire qualis coetus sit  
Ecclesia Dei in hac uita.

*Filij Dei  
beneficium.*

*In prius bene-  
ficio cognos-  
cendo quid  
scendum.*

**B**

**HARUM**